

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis Coloniensis

II

TEMPUS QUADRAGESIMALE
TEMPUS PASCHALE

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis Coloniensis

II

TEMPUS QUADRAGESIMALE
TEMPUS PASCHALE

APPROBATUM IMPRIMATUR

Köln, den 15. August 2002

† JOACHIM KARDINAL MEISNER
Erzbischof von Köln

CONFIRMATUM

11. November 2002 · Prot. n. 2282/99/L

Rom – Vatikanstadt

† Franciscus Kardinal Arinze
Präfekt der Kongregation für den Gottesdienst

† Franciscus Pius Tamburrino
Erzbischof
Sekretär

Herausgegeben vom Erzbistum Köln

Druck: J. P. Bachem, Köln

3-7616-1713-5

CALENDARIUM
PROPRIUM ARCHIDIOECESIS COLONIENSIS

MARTIUS

- 19 S. JOSEPH, SPONSI B. MARIAE V.
PATRONUS ARCHIDIOECESIS **Sollemnitas**

APRILIS

- 23 S. Gerardi, episcopi
27 S. PETRI CANISII, PRESBYTERI ET ECCLESIAE
DOCTORIS **Festum**
30 S. Quirini, martyris
PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS
NOVESIENSIS **In civitate Novesiensi: Sollemnitas**

MAIUS

- 21 S. Hermanni Ioseph, religiosi et
presbyteri **Memoria**

Die 19 martii

S. IOSEPH, SPONSI BEATAE MARIAE VIRGINIS
PATRONUS ARCHIDIOECESIS

Sollemnitas

Calendarium Urbani VIII papae memoriam S. Ioseph continet ut festum totius Ecclesiae. Archiepiscopus Maximilianus Henricus hoc calendarium anno 1662 in totam archidioecesim Coloniensem induxit.

Omnia ut in sollemnitate, Vol. II., 1291.

Die 23 aprilis

S. GERARDI, EPISCOPI

Gerardus Coloniae et natus et in schola cathedralis ecclesiae eruditus est. Archiepiscopo Brunone I auctore, Otto imperator eum episcopum Tullensem nominavit. Tulli ecclesiam cathedralem in honorem S. Stephani aedificavit. Ecclesiae reformandae magno opere studuit et institutionem spiritualem presbyterorum promovit. Beneficentia indefessum se praebuit. Mortuus anno 994 die 23 aprilis, in ecclesia cathedrali depositus est.

De Communi pastorum, Vol. II., 1564, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Caelis continuum, civibus annum
festivum celebret plebs pia gaudium,
cunctis magnificus quod dat ovantibus
Gerardus meritis laudibus inclitus.

In terris positus sidera transiit
 exemplumque fuit moribus optimis,
 sic clarus meruit celsius evehi
 Tulli suscipiens munia praesulis.

Virtutum rutilans lumine splendido,
 instruxit populum dogmate vivido;
 quod verbis docuit, praetulit actibus,
 maestis compatiens se dedit omnibus.

Victum pauperibus largius auxerat,
 in forma Dominum paupere viderat;
 vinum dat fieri lymphica pocula,
 solvit peste fera languida corpora.

Sic multis viguit dotibus actuum,
 nunc regno fruitur perpete caelitem,
 quo sanctis precibus tergere crimina
 dignetur, retinent quos mala noxia.

Hoc praestet Deitas, unica Trinitas;
 cui laudes reboat caelica dignitas.
 Ac nos his maculis pluribus obsiti,
 oramus veniam fletibus intimis. Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Bulla canonizationis sancti Leonis papae Noni
 (Epist. et Décret. 38)

Euge, serve bone et fidelis

Virtus divinae operationis in omnibus est mirabilis, máxime vero in sanctis suis, quos praescivit et praedestinavit, illos clarificando miraculis in mundo, quos secum vivere et gloriári facit in caelo. Paulo ígitur ante nos in episcopátu Tullénsi, unde nutu omnipotentis et ómnia suo arbítrio disponéntis, nec ullis nostrórum meritórum proféctibus, ad apostólicam sedem transláti sumus, fuit episcopus, nómine Gerárdus, qui duo talénta, intelléctum et operationem, a caelésti Patrefamílias accípiens, divínam legem, quam medúllitus intelléxit, sic ópere adimplére stúduit, ut fieret dignus accíperere illam desiderábilem a

Deo salutatióem: *Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.*

Sic enim Dómini sui talénta erogávit, sic ánimas lucrátus est, verba salutis praedicádo, ut geminátam Dómino suo pecúniám repraesentáret, et sibi aetérna benefícia cumuláret. Lumbos sibi praecínxit castitátem servádo; lucernas in mánibus portávit, exémpa bonae operatióis áliis praebédo. Exspectávit Dóminum a núptiis sanctae Ecclésiae, non dormiédo, sed vigiládo, prima, secúnda, tértia vigília, ánxius ad eius aspéctum. At quia sic semper ánimo suspirábat ad Deum, eius virtúte comitátus angélicam ducens vitam, quotidie Christum in paupéribus ad mensam suscípiens, quotidie piis áctibus insístens, nec docédo nec agédo, nisi quod sanctum et Deo gratum esset, multis effúlsit miraculórum prodígiis, sanctitáti eius testimónium perhibéntibus; unde plures adhuc testes exsístunt. Quod et idem post mortem carnis cum Christo Dómino nostro spírítu vivens, glórians saepe operátus est, et saepe adhuc operátur, curans divérsos languóres diversásque infirmitátes.

RESPONSORIUM

1 Cor 9,22–23; cf. Sir 51,21

R. Factus sum infirmis infirmus; ómnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. * Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps eius efficiar, allelúia.

V. Zelátus sum bonum; proptérea possidébo bonam possessiónem. * Omnia fácio.

Oratio

Deus, pastor animárum, qui beátum Gerárdum episcopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas pásceret verbo, et presbytérium instauráret exémplo, da nobis eius intercessióne: et fidem serváre, quam verbo dócuit, et viam caritátis sequi, quam exémplo monstrávit. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS Caelis continuum, *ut ad Officium lectionis.*

Die 27 aprilis

S. PETRI CANISII, PRESBYTERI ET
ECCLESIAE DOCTORIS

Festum

Petrus Noviomagi natus est anno 1521. Coloniae Agrippinae studiis incubuit et primus Germanorum Societati Iesu nomen dedit anno 1543. Ad fundandam domum societatis suae Coloniae, primam in Germania, magnam curam impendit. Per multos annos ad fidem catholicam tuendam et firmandam scriptis, praedicatione et consultatione strenue laboravit. Multa edidit opera inter quae longe eminent quod Catechismus inscribitur, qui adhibitus est in catechesi usque ad saeculum vicesimum. Obiit die 21 decembris 1597 Friburgi in Helvetia; ibidem in collegio a S. Michaelae nuncupato reliquiae eius coluntur.

De Communi doctorum Ecclesiae, Vol. II, 1593, cetera de Communi pastorum, 1564.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Epístola sancti Petri Canísii ad fratres Colonienses (Beati Petri Canisii societatis Iesu epistolae et acta. Edit. Otto Braunsberger, Vol. VII, Friburgi Brisgoviae 1922, 235–236)

Cura de Colonia

Etsi nullas a vobis iam pridem accépi, tamen scribendum áliquid puto, ut mei memória vobis refricétur, quos opto fidos mihi apud Deum intercessóres perpétuo retinére. Deínde iucúndum est mihi sanctae Colóniae meminisse, quae nos primum in Dómino et in hac vocatióne sancta coniúnxit totque iam annis semen áliquod nostórum isthic alit atque custódit. Scio quantis labóribus constíterit haec societátis nostrae iacére fundaménta, et

hucusque provéhere, quod sanctus pater noster Petrus Faber isthic inchoávit. Sed nisi a Dómino factum esset istud, qui super petram fundávit hanc domum suam, iam pridem inimíci praevaluíssent, et fructus ille múltiplex, quem vinéola vestra prodúxit, intercidíssent. Benedíctus ergo Deus qui vos inter primos Germániae operários, si societátis nostrae hómínes contemplémur, elégit, conservávit, deféndit et auxit. Benedícti Coloniénsis Ecclésiae patróni, quorum favóre praesidióque confirmáti et abundáre et egére nostis, multos étiam locupletántes. Mirábilis profécto Deus, qui tália primórdia, talésque succéssus paucis dedit, vestram ínterim excérens et illústrans patientiam, quae sine paupertáte et simplicitáte ignóta fortásse mansíssent. Neque ádeo reférre puto, quod multa se ófferant impediménta, quóminus in altum surgat vestra structúra, cuius ut altas, ita firmas rádices vult esse Christus architéctus. Seminémus in lácrimis, quae álii metant in exultatione: confirmémus in humilitáte et patientia coepta iam fundaménta, quae suo témpore próvehet Deus virtútum, ut sint multi fratres habitántes in unum.

Coloniénsibus vero zelum ardéntem fídei vindicándae precámur.

RESPONSORIUM

1 Petr 1,25; Lc 1,2

R. Verbum Dómini manet in aetérnum: * Hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos, allelúia.

V. Sicut tradidérunt nobis qui ab iníitio ipsi vidérunt, et ministri fuérunt sermónis. * Hoc est.

HYMNUS Te Deum, 822

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem virtúte et doctrina beátum Petrum presbýterum roborásti; eius intercessióne concéde: ut, qui veritátem quaerunt, te Deum gaudentér invéniant, et in tua confessióne pópulus credéntium persevéret. Per Dóminum.

Die 30 aprilis
S. QUIRINI, MARTYRIS

PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS
NOVESIENSIS

In civitate Novesiensi sollemnitas

Quirinus tribunus Romanus una cum filia sua Balbina ab Alexandro I papa baptizatus et Hadriano imperatore coronatus esse martyrio traditur. Depositus est Romae in coemeterio Praetextati. Anno fere 1000 reliquiae eius in coenobium monialium Novesiense translatae sunt. S. Quirinus una cum S. Antonio abbate, S. Huberto episcopo et S. Cornelio papa inter „Quatuor Marescalcos Ecclesiae Coloniensis“ a saeculo quintodecimo honoratus et cultus est. Die 30 aprilis festum translationis reliquiarum eius celebratur.

De Communi unius martyris, Vol. II., 1536, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS (ad libitum)

Christum laudemus carmine,
qui sanctum suum martyrem
Quirinum fuso sanguine
caelum concessit scandere.

Hic Dei fretus gratia,
mundi contempsit lubrica,
Iesu sequens vestigia,
adeptus est caelestia.

Cuius spiritus choreis
iam coniunctus angelicis,
fruitur caeli gaudiis,
aeternis laetus praemiis.

Adsis nunc nostris, quaesumus,
sancte Quirine, precibus,
ut mereamur omnibus
solvi culparum nexibus.

Praesta, Pater piissime,
 Patrique compar, unice,
 cum Spiritu Paraclito,
 in sempiterna saecula. Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Homiliis sancti Ioánnis Chrysóstomi in Epístolam ad Romános.

(IX, 3–4: PG 60, 469)

Patientia et probatio ex tribulatione

Cógita quanta sint futúra, quando de iis quae trístia esse vidéntur, altum sápmus; tantum est Dei donum, et sic in illo nihil ingrátum est. Quia enim multae tunc erant tentatiónes, regnum autem in spe erat, et gravióra prae máni-bus, bona autem in exspectatiónem; hoc autem infirmióres frangébat: ídeo ante corónas iam illis práemia largítur, dicens oportére in tribulatiónibus gloriári. Nec dixit, „opórtet vos gloriári“, sed, „nos gloriámur“, in pró-pria persóna adhortatiónem indúcens. Deínde quia dic-tum illud novum inopinátumque esse videbátur, quod cum fame luctántem, cum caténis, cum torméntis, cum contuméliis et oppróbriis gloriári oportéret, illud demum probat; quodque maius est, haec gloriatiónem digna dicit, non tantum propter illa futúra, sed propter praeséntia; nam ipsae per sese tribulatiónes bonae sunt. Quare? Quia ad paciéntiam éxcitant. Quaprópter cum dixisset, *gloriámur in tribulatiónibus*, causam adiécit dicens, *sciéntes, quod tribulátio paciéntiam operátur*. Vide rursus conten-tiónem Pauli, quómo modo in contrárium sermónem vertit. Quia enim tribulatiónes efficiébant, ut illi ánimus despónderent circa futúra, et desperárent, dicit propter illas ipsas fidéndum, nec de futúris desperándum esse. *Tribulátio enim paciéntiam operátur*, inquit, *paciéntia vero probatiónem, probátio vero spem, spes autem non confúndit*. Non modo enim tribulatiónes spem huiúsmodi non tollunt, sed étiam ástruunt. Ante futúra enim magnum fructum tribulátio habet, nempe paciéntiam, et quod probátum fáciat eum, qui tentátur.

RESPONSORIUM

Rom 5,3.4.; 8.35

R. Gloriámur in tribulatióibus: * Sciéntes quod tribulatio patiéntiam operátur, patiénta autem probatióem, probatio vero spem, allelúia.

V. Quis ergo nos separábit a caritaté Christi? Tribulatio, an angústia, an fames, an núditas, an periculum, an persecútio, an gládus? * Sciéntes quod.

In civitate Novesiensi: HYMNUS Te Deum, 822.

Oratio

Deus, qui beátum Quirínum mártirem tuum virtúte constántiae in passióne roborásti; concéde nobis fámulis tuis: ut eius méritis et précibus, ómnium hóstium superáttis insídiis, ad societátem supernórum cívium perveniámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS Christum laudemus carmine, ut ad Officium lectionis (ad libitum).

Die 21 maii

S. HERMANNI IOSEPH, RELIGIOSI ET
PRESBYTERI

Memoria

Hermannus post annum 1150 Coloniae natus est. In abbacia Ordinis Praemonstratensis Steinfeldii presbyter ordinatus, curae pastoris boni atque prudentis in compluribus monasteriis se dedit, itemque vitam contemplativam amplexus est. Matrimonio mystico cum beatissima Virgine Maria iunctus est, unde cognomen Ioseph ei datum est. Hymni et orationes ab eo scriptae venerationem intimam erga Sacratissimum Cor Iesu et Dei Genetricem indicant. Anno 1241 vel 1252 mortuus est in parthenio Cisterciensium Hovensi prope Tolbiacum sito, hodie „Marienborn“ nuncupat. Corpus eius vero non multo post in ecclesia abbaciae Steinfeldensis depositum est.

De Communi sanctorum virorum: Pro religiosis, Vol. II., 1673, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Gaude, felix Agrippina,
plaude, cohors Norbertina,
Deo laudes dicite!
Viro Dei, sancto mystae,
Ioseph sacer dies iste:
sancte hunc traducite.

Hunc tu mundo genuisti
ordinique transmisisti
candido, Colonia.
Eiffliam hic illustravit
et Steinfeldiam ornavit
sua sanctimonia.

Coluit devote piam
puer innocens Mariam,
abstinens a crimine;
tota vita visitari,
adiuvari, informari
meruit a virgine.

Summus Pater hunc amavit
et virtutum exornavit
tunica polymita.
Fuit simplex, rectus, castus,
pius, mitis, osor fastus,
cunctis reddens debita.

Tu exaudi preces, Christe,
tuas quas amicus iste
fundit pro clientibus,
ut et servuli nos tui
cum eo possimus frui
gaudiis caelestibus. Amen.

LECTIO ALTERA

Orátio sancti Hermánni Ioseph pro gratiárum actióne
 (J. Brosch, Hymnen und Gebete des seligen
 Hermann Josef, Aachen 1950, S. 9 f)

Gratiarum actio pro beneficiis Christi

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod homo fferi dignátus es propter nos. Per illam ineffábilem caritátem, da nobis verum et perféctum amórem in te: et sicut matrem tuam, Rosam, íntime laetificásti, sic nos íntime laetífica in córpore et ánima.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod ad te, regem glóriæ, stella reges duxit: et tu, per te, perdúcas nos ad te.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod oblátus es pro nobis in templo: et tu nos offer tuo Patri caelésti.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod baptizátus es pro nobis: et tu lava nos a peccátis nostris in sángine tuo.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod in núptiis aquas convertísti in vinum: et tu convérte luctum nostrum in gáudium, nos ad aetérnas núptias perducéndo.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod ante passiónem tuam cum discipulis cenáre voluísti, teípsum eis dans ad edéndum et bibéndum: et tu da nobis sic te suméndum, ut tecum perpétuo possímus vívere.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, qui tráditus es, et captus pro nobis: et tu líbera nos a captivitáte aetérna.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, qui flagellátus es pro nobis, irrísus, cólaphis caesus, spinis coronátus, crucifíxus, felle et acéto potátus, quinque vúlnera perferens, mórtuus et sepúltus, et ad Sínteros tandem descéndens, tuos inde liberásti: et tu nobis semper in omni assístas necessitáte, prótegas, deféndas, et ab omni malo nos consérves.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, pro his ómnibus: et da nobis sic passiónis tuæ memóriam ágere, ut tecum possímus perpétuo vívere.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, qui cum glória a mórtuis resurrexísti Rosámque íntime laetificásti: per

Rosae mérita fac nos tecum resúrgeretecúmque in aetérnum gaudére. Amen.

RESPONSORIUM

1 Thess 6,18; Eph 5,20

R. In ómnibus grátias ágite: * Haec est enim volúntas Dei in Christo Iesu in ómnibus vobis, allelúia.

V. Dómino grátias agéntes semper pro ómnibus. * Haec est enim.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Sancte mysta, te laudare
ipse Christus et vocare
est dignatus lilium.
Diva virgo tibi favit,
Ioseph sponsum te vocavit,
capellanum, filium.

Tibi quoque desponsari
et per angelos portari
ad te Iesum voluit.
Quantus esses et quantorum
apud Deum meritorum,
angelus edocuit.

Ave, decus confessorum,
norma tu presbyterorum,
Ubiorum gloria.
Tua noster, o patrone,
est in benedictione
merito memoria.

Tu exaudi preces, Christe,
tuas quas amicus iste
fundit pro clientibus,
ut et servuli nos tui
cum eo possimus frui
gaudiis caelestibus. Amen.

Oratio

Dómine, Deus noster, qui beáto Hermáno Ioseph pie meditánti secréta caeléstia revelásti, et eius consílio afflic-tos sublevásti; eius précibus nobis concéde: ut, viam salú-tis cognoscéntes, ad revelatióem glóriæ tuæ perducá-mur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS Gaude, felix Agrippina, **ut ad Officium lectionis.**